

SCRIPTA

Numéro Scripta : 163

Autre(s) référence(s) : Tabuteau 521

Auteur(s) : Odard [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1097, 24 juin

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Le chevalier Odard, à son retour de Jérusalem, donne à l'abbaye de Jumièges, avant de prendre l'habit religieux, 12 journaux de terre et 3 arpents moins un quarteron de vigne, le tout sis à Longueville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° XXXIX, t. 1, p. 121-123.

Dissertation critique

Cf. J.-J. Vernier donne la datation suivante : 1097 (du 5 avril au 27 mars 1098)
Cet acte original selon J.-J. Vernier n'est pas recensé dans la base de l'ARTEM.

Texte établi d'après a

Propter quorundam hominum improborum temeritatem, qui majorum suorum dicta vel facta quodam protervæ mentis annisu semper aut depravare aut ex toto in nichilum redigere solent, hactenus in terris laudandus mos inolevit ut universi fideles omne quod sibi aut posteris suis utile fore credunt membranis diligenter tradere ob memoriam rerum gestarum studeant. Hujus igitur moris emulator esse desiderans, venerabilis memoriæ Tancardus nomine, abbas sancti Petri Gemmeticensis, notum cupit fieri omnibus fidelibus christianis quomodo quidam miles, nomine Odardus, a sanctis venerandisque Ierosolimorum locis rediens, quoddam suum alodium infra terminos Longæ Villæ constitutum, quodsibi maternæ hæreditatis jure acciderat, supradicto Gemmeticensi loco, priusquam ibi monachus efficeretur, presente fratre suo Ricardo hoc concedente atque omnibus ceteris suis contribulibus, contradiderit. Constat autem illud taliter alodium, sicut subter annotare curabimus : cultura scilicet quedam habens duodecim diurnales, id est quantum carruca .XII. diebus arare potest, tria quoque arpenta vineæ unum tantummodo quartarium minus habentia, ex quibus tamen unum retinet arpentarium quidam Godefredus in feodo. Habebitur etiam census ex ipso alodio per unum quoque annum de quibusdam hominibus sex solidorum, duobus solummodo nummis inde remanentibus, sex quoque capones, .IIos. sextarios et .I. minam de oblatis ; et, quandocunque citius molendinum de Cantarana giraverit vel quamlibet molutram fecerit, octo sextarios annonæ persolvat. Sciendum vero est quia, si quislibet huic dato contraire aut refragare temptaverit, quod Ricardus frater predicti Odardi contra omnes homines deratiocinabit propter hoc quod illi omne residuum suæ hæreditatis isdem Odardus concessit ; atque exinde presentem ipse Ricardus manu propria cartam firmavit et postea super altare sanctæ Mariæ imposuit anno

ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo .VII^o., indictione quinta, die nativitatis sancti Baptistæ Johannis. Hujus rei testes sunt : Hugo Bursarth, Vualterius filius Isabel, Ricardus filius Henrici, Gerelinus filius Adellini, Raulfus frater ejus, Vuillelmus filius Vuarengerii, Raulfus filius Hamengel. Isti fuerunt ex parte Ricardi ; ex parte vero monachorum, † Raulfus filius Salomonis, Ragnulfus Marascal, Robertus Quoquus, Vuillelmus filius ejus, Gislebertus de [Vuarvuenna], Vuillelmus Job, V[ual]terus cubicularius, Rob[ertus filius] Odonis, Fulco filius... et multi alii.